



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Enarrationes Novae D. Martini Lutheri in Ionam Prophetam

Jonas, Justus

Haganoæ

Et prædicavit Ionas, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Niniue  
subuertetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36521**

tuerint. Nam sequitur quod Ionas unius diei itinere ingressus urbem, prædicauerit: quod puto esse tantam partem & tantum spacium totius Niniue urbis, quantum uno die sic deambulando confici posset. Hoc indicat etiã Heb. uocabulum Malzalach, quod significat eiusmodi transitum qualis fit in deambulationibus. Quemadmodum Moses Exod. 14. dicit, Dominum ea nocte transisse per Aegyptum, & percussisse omnia primogenita. Ille transitus, non cursu, non recta aut breuissima linea factus est, sed sedate, ut in deambulationibus. Quilibet hic amplectatur quod sibi probabitur.

Et prædicauit Ionas, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

Itinere unius diei ingreditur Ionas urbem & concionatur. Quot autem dies transierit, antequam eam partem urbis & tantum spacium prædicando absoluerit, textus non exprimit. Summam autem concionis breuem hic, quasi uno fasce cõplexus est propheta, uidelicet, adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur. Ionas autem proculdubio non tantum his quatuor aut quinque uerbis usus est. Sed longiori oratione tractauit hoc thema, nepe causam exprimens propter quam ira Dei impenderet, quæ scele-

ra irritassent Deū, quæ uia sit ueræ pœnitentiæ. Sed breuiter hic ostendit potius quàm explicauit, quem admodum nos quoq; concionum summam solemus cõplecti, cum dicimus, Hodie prædicauit de Missa, de pœnitentiâ &c.

Et crediderūt Niniuitæ Deo,  
& prædicauerunt ieiunium &c.

Equidem meros sanctos & pios homines putasse in ciuitate Niniue, ut Ionas merito uocet eos ciuitatē Dei. Neq; ulla facile urbs reperietur in toto mundo, quæ huic possit hic conferri, etiam si scilicet etiam ciuitatem Hierusalem compares. Nam Ionas tantum unius diei itinere ingressus urbem prædicauit, non omnes eum adhuc audiuerūt, & tamen omnes conuertuntur. Ciuitatem Hierusalem non tot prophætæ, non tot apostoli, qui tanta contentione, tanto tempore, ibi & concionibus & miraculis hoc egerunt, ne Christus quidē ipse eò permouit, ut omnes conuerterentur, & merito diceretur de Niniuitis quòd Christus in Euangelio de Centurione, non inueni tantam fidem in Israel. Nam tempore Ione, cum Niniue conuertitur, in primis Israel & Hierusalem plene erant impietatibus & Idololatrijs. Et ut maxime de Hierusalem tam insigne posset ostendi exemplum pœnitentiæ, quemadmodum tempore

re Dauid